DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS
ANALECTA QVAEDAM PRACTICA
DE
HYDROPE

QVAM
CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
PRO OBTINENDIS
SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
D. I. JUNII MDCCLXXXVI.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
HENR. REINHOLDVS CHRISTIANVS HARMES
BREMA SAXO.

GOTTINGAE
TYPIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

DOMINO PRAESIDI

CONSILIARIIS PERILLVSTRIS REGIMINIS BORVSSIACI
DVCATVS MINDENSIS ET COMITATVS RAVENSBERGENSIS

DOMINO PRAESIDI

DIRECTORI ET CONSILIARIIS
RERVM BELLICARVM ET DOMANIALIVM
PERILLVSTRIS CAMERAE
DVCATVS MINDENSIS ET COMITATVS RAVENSBERGENSIS

DOMINO DIRECTORI

CONSVLIBVS ET SENATORIBVS MAGISTRATVS
AMPLISSIMI CIVITATIS MINDENSIS

PATRONIS SVIS GRATIOSIS

ET

FAVTORIBVS BENEVOLIS

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS

HENR. REINHOLDVS CHRISTIANVS HARMES.

Theſes.

I.

Peluim grauiditatis tempore aut in ipſo partus momento dilatari, nego.

II.

Locus aptiſſimus pro ſectione Caeſarea eſt ille a Cel. Deleurye commendatus, ſcilicet in linea alba.

III.

Seminium vermium animalibus connatum ſtatuo.

IV.

Dyſenteria ſimplex catarrhus inteſtinorum eſt.

V.

Gonorrhoea ſine Mercurio ſanari poteſt.

VI.

Suturas cranii trepano perforare, vbi opus eſt, licet.

VII.

Venaeſectio in morbo apoplectico non ſemper conuenit.

VIII.

Animae commotiones et morbos gignunt et graues tollunt.

IX.

Frequentiſſima fere epilepſiae cauſa in primis viis ſedem habet.

DE

HYDROPE

ET REMEDIIS ANTIHYDROPICIS.

Diſquiſitio practica.

§. I.

Hydrops eſt collectio ſeri extra vaſa, vel in tela celluloſa, vel in variis corporis noſtri cauis et viſceribus, ex laxiori inprimis fabrica conſtructis: exemplo vtar pulmones et vterum. Licet rariori tamen caſu et alia corporis noſtri caua viſceraque hydropica fieri poſſunt.

Color liquidi extrauaſati plerumque ſubflauus quandoque albuminoſus; raro foetidae ſunt aquae, quam diu penitus clauſae ſunt: odorem autem ſpargunt foetidum intolerabilem, vbi vel in malis inueteratis abſceſſus ſubnati

fuerint,

fuerint, vel etiam, vbi in aſcite, liquidum per paracentheſin emiſſum in putredinem iam tranſierit, quod mortis inſtantis certiſſimum ſignum eſt.

§. II.

Hydrops alius eſt vniuerſalis, alius particularis, variarum corporis noſtri partium.

Prioris ſpeciem conſtituit leucophlegmatia, oedema vniuerſale per habitum corporis, plerumque cum variis ſpeciebus hydropis interni tandem coniunctum. Initio ſuperficiem corporis potiſſimum afficit, et hoc nomine metaſtaſeos ſpeciem aliquandam habet, (poſt febrem ſcarlatinam notiſſima eſt haec ſpecies,) collectiones tamen ad interiora exinde demum oriuntur. Leucophlegmatia degenerat in hydropem anaſarca, quo totus corporis habitus magis adhuc intumeſcit, aliud etiam membrum prae alio, vt inprimis manus, crura, ſcrotum praeputium etc.

§. III.

Hydropes particulares, plerumque cum cachectico totius corporis habitu, cum tumore membrorum inferiorum et tabe viciſſim, ſuperiorum, coniuncti ſunt. Hydrocephalus internus et externus, partui difficiliori ab incuneatione capitis, tribuendus, cum ſymptomatibus variis ſpaſmodicis

ſtipatus

ſtipatus eſt hic morbus, et vix ſanationem admittit. Hydrops medullae ſpinalis, a ſpinis bifidis infantum, quibus non ſemper coniuncti ſunt, quique inprimis circa lumborum vertebras obſeruatur, aliquando cum hydrocephalo coniunctus, interdum inſolitarius et rariſſimus in adultis exiſtit. Hydropes pulmonum et aſperae arteriae rariores ſunt, inſanabiles plerumque, etſi aegroti ſatis diu cum orthopnoea tamen viuere poſſint, modoque apoplectico ſubito plerumque vitam finiant.

Hydropes pectoris, pericardii, mediaſtini veri quidem, ſed non adeo frequentes ſunt, ſaepe etiam contingit, pro hydrope pectoris haberi, quod merum aſthma ſpaſmodicum eſt, et in cadaueribus ſaepe nullum collectionis aquoſae ſignum deprehenditur.

Hydrops abdominis duplex obſeruatur, *aſcites* qui frequentior, collectae aquae in ipſo abdominis cauo, *alter* qui rarior collectio aquae inter peritonaeum et muſculos abdominis, vbi iſtud admirando modo ab aponeuroſibus ſeparatur, abdomen extenditur viſcera ad poſtica deprimuntur, et in vero abdominis cauo vix modica aquae copia deprehenditur, demiſſa ſimul aqua inter peritonaeum et vaſa ſpermatica in ipſum ſcrotum, *hydrops peritonaei* dictus. Hydrops penis, praeputii, ſcroti, aſcitis plerumque ſympto-

 matibus,

matibus, prouti hydropes ouariorum, et tubarum Fallopii. Rarius per ſe et ſolitarii obſeruantur, et tunc hydropes ſaccati nominantur.

§. IV.

De Hydrope ſcroti, alias hydrocele dicto, quatuor diuerſae obſeruantur ſpecies. Primo extrauaſatio in ipſa membrana celluloſa ſcroti, rectius dicenda anaſarca ſcroti. Secunda ſpecies eſt, in cauo membranae vaginalis teſtem ambientis. Tertia ſedem habet in tunica muſculari, dartos dicta. Quarta denique oritur, vbi ſaccus a producto peritonaeo, in hernia vera factus, fluido impletur aquoſo.

§. V.

Facile patet ex hiſce hydropis ſpeciebus praecipuis recenſitis, omnes cauitates corporis humani tam maiores quam minores extrauaſationi hydropem particularem producenti, eſſe obnoxios. Teſtantur obſeruationes auctorum celeberrimorum, cerebrum, oculos, inuolucra medullae ſpinalis, pericardium, pleuram, mediaſtinum, renes, reliquaque viſcera, interdum fuiſſe ſedem hydropis particularis, vel etiam diuerſas has ſpecies ſymptomatice hydropem vniverſalem comitaſſe.

§. VI.

§. VI.

Conſideremus iam paullo proprius ſigna praecipuis hydropis ſpeciebus propria. *Leucophlegmatia* ſiue anaſarca cognoſcitur ex molli totius corporis expanſione, digito prementi cedente, impreſſaque veſtigia retinente, colore et habitu corporis pallido, cachectico, diſpnoea, febre lenta, vrina pauca, tenui et alba.

Hydrocephalus ſponte oculis patet et dignoſcitur ex ingenti et praeternaturali capitis volumine. Signa *hydropis pectoris* ſunt orthopnoea, veſpertino tempore aucta, tuſſis ſicca, frequens, laſſitudo membrorum, appetitus proſtratus, vrina pauca, cruda, ſubrubra, ſenſus frigoris in pectore, febricula lenta. Cum empyemate facile et ſaepe commutatur haec ſpecies; febris autem et ſitis vehementior eſt in empyemate et praeterea cauſa huic morbo praegreſſa, inflamatio ſcilicet in aliqua pectoris parte, diſcrimen exhibet.

Aſcitis ſigna ſunt: ingens et praeternaturalis abdominis moles et mollities, fluctuatio aquae, ſub iactatione corporis de latere in latus; crura, pedes et ſcrotum praeternaturaliter tument, diſpnoea ad minimum motum aucta cum ſumma corporis defatigatione, ſitis moleſta, vrina pauca rubicunda, tuſſis ſicca, pulſus paruus, celer, febris lenta, poſt paſtum et veſpertino temporc aucta.

Hydrops ouariorum difficillime cognoſcitur. Oritur plerumque circa tempus ceſſationis fluxus lunae periodici. Deprehenditur tamen, licet rariori caſu, tumor et fluctuatio aquae in latere affecto et diagnoſin certam exhibet.

Hydrops vteri aſcitem et grauiditatem ſaepius ſimulat. Sunt autem ſigna diagnoſtica quae ſequuntur: tumor imi ventris laxus, verſus inferiora inprimis vergens, cachecticus corporis habitus, diſpnoea, menſtrua inordinata, pauca aut defectus eorum mammarum color flauidus, mollities, abſentia lactis, ſenſus fluctuationis et ponderis in abdomine.

§. VII.

Inueſtigemus nunc etiam paucis cauſarum catalogum. Hydrops, ſi fluidum vel cauſam materialem conſideres, oritur: vel ab aquis, ſero vel lympha: vel ab vrina, et iſchuria: vel denique a lacte eiusque metaſtaſi, vnde quorundam hydrops lactea.

Cauſa proxima omnis hydropis mihi videtur in dilatatione preternaturali vaſorum exhalantium, indeque orta ſpecifica determinatione liquorum ſeroſorum ad loca vbi haeret et colligitur extrauaſatio, impeditaque vi exhalante et reſorbente vaſorum bibulorum, quo facto, fluidum ſtagnans leges circulationis vt antea ſubire, adeoque per excretionem lotii vel ſudoris vel tranſpirationis inſenſibilis eliminari non poteſt.

§. VIII.

§. VIII.

Antecedentes cauſae variae et multiplices, in duas claſſes commode diſtinguendae ſunt. Aut enim hydropes poſt febres acutas praeſertim vero malignas nonnullas fiunt, aut ex praegreſſis imi ventris vitiis paullatim obrepunt. Notari autem debet de hydrope poſt morbos acutos, hoc nomine non febres ſaltem eſſe intelligendas, ſed etiam appoplexia, ſopores, affectus varii generis neruoſi, dyſenteria et haemorrhagiarum diuerſae ſpecies. Ita vero ſatis experientia docuit, hydropes aut protinus lentoque gradu, aut poſt alias metaſtaſes ſaepe non cognitas, interdum et male tractatas ſuccedere febribus continuis variis, imprimis malignis et exanthematicis, ſcarlatinae, febribus intermittentibus male tractatis aut diuturnis, praeſertim quartanae, ictero, dyſenteriae praepoſtere coercitae, affectibus viſcerum infimi ventris, poſt obſtructiones praeſertim hepatis et lienis, poſtque morbos cutaneos male tractatos aut repulſos.

Ideo conſequitur, ſi defluxiones variae antiquatae ſubito aut praepoſtere ſupprimuntur, vt fluor albus inueteratus, aut defluxiones ſeroſae haemorrhoidales, ſudor pedum, vlcera artificialia ſine aliis idoneis reuulſionibus ſanatae. Frequentia ſunt exempla hydropis obſtructis menſibus, quin inordinatis et nimiis etiam haemorrhoidibus, quin aliis haemorrhagiis, ipſaque vt dictum ſuppreſſa dyſenteria aut immediate

aut

aut poſt ſuccedentem lienteriam, ipſius quoque ſuppreſſioni fluxus hepatici, ſuborti.

Quaeuis euacuatio nimia, venaeſectonis, euacuantium, diureticorum, ſalium reſoluentium inprimis alcacinorum abvſus, hydropis cauſas conſtituunt.

Inter *cauſas procatarcticas* accuſatur etiam exceſſus in potu vinoſo et ardente, inprimis etiam animi affectus triſtes diuturni in eodem occupati objecto, aer humidus et frigidus quo corporis perſpiratio impeditur, a qua ſola retenta hydrops oriri poteſt: cibus et potus quantitate et qualitate peccare poſſunt. Quantitate, vbi plus aſſumitur quam digeri poteſt, qualitate nocent quatenus ſunt viſcidi, glutinoſi et cacochimiam humoribus inducunt. Motus et quies etiam ad hunc morbum afferunt, hinc deſidia, torpor et exercitia nimia maxime in corporibus cacochimicis et ſcorbuticis, peſſima. Sic ſomnus nimius et vigiliae nimiae, quibus lentores et obſtructiones generantur, ad hydropem ſaepe contribuunt.

§. IX.

Prognoſin huius morbi antequam ad curationem me converto breuiter nunc examinabo.

Non

Non raro eſt, hydropis cum tympanitide, praeſertim Aſcitis aſſociatio. Febriculis variis tandem hecticis et phtiſicis nullus hydrops vacat, quin ſaepe per vices incidunt ſymptomatico modo febres acutae maligniores pleuriticae et peripneumonicae, vt tantisper non ad hydropem, ſed ad febrem in curationis tramite reſpiciendum ſit. — Omnis hydrops et morbus chronicus ingraueſcens aut erumpens iisdem anni temporibus quibus alii morbi chronici et atrabilarii ingraueſcere ſolent.

Autumnalis vere, vernalis autumno, morte plerumque finitur pro cauſarum antiquitate et diſcrimine. Lentiſſimus, hydrops eſt, qui aſthmatico modo ortum ſumit, ſymptomata aſthmatica ſenſim ingraueſcunt et peripneumonico modo vitae finem faciunt. — Peſſimum eſt, ſi in hydrope incidunt ſymptomata icterica, ſpaſtica, paralytica, vocis interruptiones, tuſſes ſpaſmodicae, diarrhoea colliquatiua, ſpaſmi epileptici, vel muſculorum ſaltem faciei. — Peſſima eſt vrina rubra, lixiuioſa, pauca, difficulter miſſa; peſſimum eſt aluum cum ſtimulo et impetu ſpumisque exonerari.

De bonis ſignis praeter haec ipſa Hippocratica, audiemus ipſum diuum ſenem, qui prognoſin huius morbi omnium accuratiſſime notauit, vt illa fere ſufficere poſſint. Hydropicum ſuperſtitem futurum, oportet bonis viſceribus eſſe, vim

naturae adhuc eſſe, comeſta facile concoquere, bene ſpirare, ſine dolore eſſe, totum corpus aequaliter tepidum, nec circa extremum colliquatum.

Meliores ſunt tumores in extremis partibus, ſed optimum eſt nullum horum eſſe, nam extrema conuenit eſſe mollia et ad naturam gracilia, ventrem mollem ad contactum, tuſſim non adeſſe, non ſitim, linguam non reſiccari, tam alias tam poſt ſomnum cibum accipere libenter et vbi multum comedit non affligi. Aluum ad medicamenta quidem habere celerem, reliquo autem tempore excrementum molle formatum.

Vrinam procedere facile et pro potus ratione, motum corporis facile ferre et ſine laſſitudine. Sic male ſe habens ſanus fieri poteſt. Sin minus plurima ex his habeat, vt ſpes ſit, ſuperſtitem fore. Qui vero nihil horum habuerit, ſed contraria, illum ſcito eſſe deſperatum.

Facile patet, hydropem inter morbos qui curationi fortiter reſiſtunt eſſe collocandum; prouti enim omnes morbi, qui ex labe viſcerum quacunque originem trahunt, curatu difficillimi ſunt, et ſi valde demum ingraueſcunt, omne auxilium reſpuunt, ſicce iure meritoque hydrops inter medicorum ſcandala numeratur.

§. X.

§. X.

Frequentiſſima hydropis ſpecies eſt aſcitis, ſupra deſcriptus. Generatim praecedunt varia ſymptomata laeſae chylificationis, ex ambitu ſymptomatum hypochondriacorum corpus cachecticum fit, ad minimum motum aegri defatigantur, dyspnoea et tuſſicula frequenti moleſtantur. Accedunt dolores erratici praeſertim lumborum, ſingulari modo ardentes, veluti moliminum haemorrhoidalium, et crebrius ſe exhibent haemorrhoides mucoſae, dolores quaſi colici et fugitiui circa vmbilicum, ſingularis ſenſus grauitatis in hypogaſtrio vt in tympanite obrepunt, alui deiectiones magis magisque ſpasmodicae ſunt.

Thorax, facies et brachia aliis intabeſcunt, et hi diutius paullo laborant, et, quod memorabile, nullos ſpaſmos experiuntur. Aliis vero facies et manus imprimis ſubtumidae manent, viciſſim attenuantur, et rurſus leuiter intumeſcunt: et hi plus tuſſes ſpaſmodicas habent, diutius aegrotant, aliquando haemorrhagiis leuantur, ſed tandem epilepſia quadam, aut poſt leuamen quoddam, recidiua ſuperueniente, non diu poſt moriuntur. Vtrobique crura tumidiſſima ſunt, in viris ſcrotum et membrum virile, in mulieribus ipſae nymphae et clytoridis praeputium intumeſcunt.

Tandem peripneumonia ſymptomatica cum tuſſi vehementi conuulſiua aut ſoporoſi vitam miſeram finiunt.

Spes vero recuperandae ſanitatis eſt in aſcite, ſi morbus non adeo inueteratus et obſtructiones viſcerum nobiliorum non adſunt, ſi corpus iuuenile et robuſtum, vires adhuc conſtant, ſi hypochondria mollia, vrina copioſa ſatis et aquoſa, reſpiratio liberior, anxietas minor, pulſus magnus et tardus, ſitis non vexat, tuſſis non adeſt.

§. XI.

Cadauera hydropum, variis generibus extincta, ſemper luculenta quaedam vitia, primarum viarum viſcerumque abdominis ex chyli praeſertim officina exhibent.

Pulmonum etiam ſubſtantia ſaepe obſeruatur ſcirrhoſa, ſuppuratoria, cum variis ſeri extrauaſationibus in cauo pectoris.

Abdominis viſcera, hepar, lien, glandulae meſenterii, pancreas, plerumque variis ſcirrhis laborant, bilis tenuis et decolor eſt. Obſeruantur ſaepe varii tumores cyſticorum ſimiles in meſenterio, ipſae glandulae meſaraicae intus ſuppuratae, et in hepate abſceſſus praeſertim in liene haerere ſolent.

Verum

Verum quidem eſt, multa viſcerum abdominalium producta morbi hydropici eſſe poſſe. Id vero perinde tantisper eſt, cum ſiue cauſas ſiue effectus hic aliquis quaerat, certum ſit, haec viſcera imprimis vitiari, idemque ſatis abdomen hydropicorum, ſpaſtice, tumidum, ſymptomata icterica, ſpaſmi conſenſuales, deiectiones aliaeque abunde probant. Sic Hippocrates ſpem ſanationis eſſe dicit, ſi alui fluxus ſpontanei, non crudi id eſt lientericis ſimiles, contigerint. Eadem colligimus ex cauſis antecedentibus et procatarcticis hydropum, in quibus ſemper viſcera abdominalia in ſocietatem veniunt. Neque vteri et ouariorum hydropes ſine ſcirrhis hepatis et lienis eſſe ſolent, ſiue hi antea exſtiterint, ſiue deinde producti fuerint.

§. XII.

In curatione indicationes quidem ſunt euacuandae aquae, et per viſcerum corroborationem impediendi noui ſeri affluxum, ſymptomatibus agentibus, et febri imprimis, quae ſubinde curationem in diuturnitatem trahit, occurrendi. Saepe enim febris tam valida eſt in hydrope, vt remedia antiphlogiſtica, ipſasque ſanguinis miſſiones, requirat. Viſcerum obſtructiones nimiaque humorum tenacitas, remedia reſoluentia, laxitas, roborantia indicat. Roborantia non praepoſtere adhibenda ſunt, nocent enim vbi adhuc reſoluendum eſt, prouti reſoluentia in nimia humorum tenuitate

et reſolutione. Facile ergo patet, connubium roborantium et reſoluentium in hoc morbo vtiliſſimum eſſe. Euacuant ex parte remedia reſoluentia et roborantia humores aquoſos ſtagnantes, euacuantibus tamen imprimis purgantibus ſcilicet et diureticis ſeri colluuies remouenda eſt. Acutum autem requirit medici practici iudicium, iuſto tempore ac doſi exhibendi medicamina quoad vires ſibi oppoſita, pro natura cauſisque morbi, aegrotorumque conditione diuerſa. Quicquid ſcilicet ad euacuationem ſeri attinet, prouti iam dictum fuit, id aut ad purgantia aut ad diuretica aut ad diaphoretica redit. Paracentheſin enim et remedia externa deinde attingemus. Omnibus his caſibus opus eſt, vt ſerum extrauaſatum in ſanguinem reſorbeatur, perque excretionum vias iterum ſecedat. Sed non promiſcue, vti licet quacunque excretionum via. Alii hydropes facilius tolluntur purgantibus, alii diureticis et hi plerumque ſimul ſudoriferis.

Non facile eſt diſcernere, quaenam via protinus eligenda ſit, et vulgaria praecepta hic ancipites duces ſunt. Hydropes, quae ad mentem Hippocratis ex hepate incipiunt, protinus tuſſi, hypochondriis valde intentis, facie ſubicterica, aluique excretionibus ſpaſmodicis ſtipati ſunt, purgantia fortiora non bene ferunt.

Tutiſſima

Tutiſſima autem ſunt in hoc caſu diuretica idonea interpoſitis laxantibus, lenioribus per epicraſin datis. Vbi vero non tam ſpaſtice tumet abdomen, in corporibus frigidis, integris adhuc viribus, conueniunt purgantia draſtica. Obſeruanda imprimis ſunt naturae molimina.

Aluus ſponte aquoſa et lubrica, itemque ſi, datis aliquoties purgantibus, maior inde muſculorum abdominis intentio tympanitica non deprehenditur, nec excretiones magis teneſmodes et ſpaſmodicae, purgantia locum habent. Propinantur ſaepe ſumma cum vtilitate, morbo non nimis obfirmato, emetica, nulla ſcilicet praeſente peripneumonia ſymptomatica, vel alia quacunque contraindicatione. Emetica refracta doſi interdum etiam eximie iuuant, qua de re memorabile exemplum narrat Ill. Baldinger in Pharmacopoeae Edimburgenſis additamentis egregiis.

Sedulo etiam attendendum eſt ad obſtructiones hepatis in hydrope tam frequentes, quibus ſanguinis per hepar reditus valde impeditur. Ex hoc fonte ſaepe peripneumonia ſymptomatica, ſcreatus cruentus, narium haemorrhagia a congeſtione ſanguinis verſus ſuperiora obſeruatur. Vtiliter igitur in his caſibus hirudines ad anum applicantur, cum ſummo aegrotorum leuamine.

§. XIII.

§. XIII.

Videamus nunc paucis, quibus remediis indicationibus modo dictis ſatisfacere poſſimus. *Primae* itaque indicationi, quae exigit, vt materiae fluiditas concilietur liquidique ſtagnantis lentor vel viſcidum ſic dictum glutinoſum diſſolvatur, conueniunt reſoluentia ſelectiora.

Efficacia ſua inſigni ſeſe commendunt, quae ſequuntur medicamina.

Gummi ammoniacum, Sapo venetus, Radices Squillae, Ari, Heleni, Vincetoxici, Pimpinellae albae; Salia alcalina fixa, Sal tartari, Abſynthii, Ononidis, aut Geniſtae; Sulphur auratum Antimonii tertiae praecipitationis, Mercurius dulcis, Kermes minerale reliquaque praeparata antimonialia ſelecta.

Extracta amara ex herbis et radicibus ſaponaceis et reſoluentibus, v. c. Taraxaci, Graminis, Saponariae, Fumariae, Enulae, Abſynthii, Centaurii minoris, Cardui Benedicti. Balſama natiua, peruuianum et Copaiuae. Millepedes, Oxymel ſquilliticum et colchicum. *Connubia* autem ſelectiora ſunt; Gummi ammoniacum, Sapo venetus, Squilla, Sulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis, forma pilularum. Salia alcalina fixa, forma ſolutionis per ſe, aut cum extractis recenſitis.

Electua-

Electuarium ill. Störckii ex conſeruis Fumariae, Naſturtii aquatici, Cochleariae, Sale polychreſto, radice Jalappae, Oxymelle ſquillitico.

Millepedes et Squilla forma pulueris vel infuſi vinoſi cum variis aromatibus. — Puluis alterans Plummeri ex Mercurio dulci et Sulphure aurato antimonii conſtans.

§. XIV.

Alterae indicationi quae euacuantia iubet ſatisfaciunt.

Primo: *Emetica.* Vomitu ſpontaneo aegroti ſaepe eximie leuantur, nocent vero praeſentibus ſcirrhis aut viſcerum exulcerationibus. Pertinent huc Radix Ipecacuanhae, Tartarus emeticus, Sulphur Antimonii auratum tertiae praecipitationis, Vinum Antimonii Huxhami, Squilla eiusque Oxymel.

Secundo: *Purgantia:* leniora ſunt Radix Jalappae, Bryoniae albae, Cremor tartari, Saliaque purgantia, Glauberi, catharticum, anglicanum &c.

Fortiora draſtica vel hydragoga ſunt: Gummi Guttae, Scammonium, Reſina Jalappae, et Scammonii. Cortex interior Sambuci et Ebuli, alburnum dictum. Cortex et Extractum Eſulae. Radix iridis noſtratis, Agaricus, Pomum

 Colo-

Colocynthidis eiusque extractum, Soldanella, Herba Gratiolae, Radix et folia Aſari, Aurum fulminans, Semina Mezerei.

Notandum eſt, remedia hydragoga cum prudentia eſſe exhibenda, vbi vires aegri adhuc conſtant, viſceribus integris et non nimis labefactatis. Si haec ita ſe habent ſtatim ab his curatio inchoanda, ſique aegroti promittunt vires, continuandus eſt vſus draſticorum donec omnes aquae expulſae ſint. Si autem febris adeſt cum ſiti, diatheſis phlogiſtica, peripneumonia vel pleuritis ſymptomatica, reſpiratio difficillima, languor virium, abſtinendum eſt ab omnibus purgantibus validioribus. Conducunt antiphlogiſtica: Remedium cel. Tissoti, ex Cremore tartari, aqua cocta cum ſucco Citri vel Syrupis acidis, Pulpa Tamarindorum et Caſſiae, Acida mineralia, Venae ſectio &c.

Per diuretica ſola rariori caſu aquae eliminantur, praemonſtrante autem natura et morbo non admodum graui haec via eligenda eſt.

Indicantur tunc vegetabilia diuretica, vt ſunt: Herba et Radix Petroſelini, Apii, Turiones Aſparagi, ſemina Petroſelini, Apii, Dauci, Lignum Juniperi et quod ex illo praeparatur oleum deſtillatum, aqua ſpiritusque; Salia alca-

lina

lina fixa ex cineribus plantarum elicita, Millepedes, Squilla, Balſama natiua.

Diaphoretica etiam laudantur in hydrope, ſed haec tum inprimis indicata credo, vbi iam per alias vias aquae ſunt euacuatae morbusque declinat. Optima ſunt tunc diaphoretica, frictiones totius corporis cum pannis aſperis cum fumo Succini vel ſimili impregnatis, motus frequens ſub vſu remediorum roborantium iamiam nominandorum. Selectum vero conſtituunt, Cortex peruuianus forma decocti, infuſi aquoſi vel vinoſi, Cortex Chinae rubrae, Limatura martis, quae inprimis poſt euacuationem aquarum ſeſe commendat. Lignum Quaſſiae eiusque extractum, Cortex Caſcarillae ejusque extractum aquoſum, Cortex Winteranus, Aurantiorum, Cinnamomi reliquaque aromatica et extracta amara ſupra recenſita. Elixiria varia ſtomachica huc quoque pertinent. Prae ceteris ſeſe commendant, Tinctura roborans Whyttii, quae paratur ex Cortice peruuiano, flauedine corticum aurantiorum, et radice Gentianae rubrae, extractione cum ſpiritu vini Gallici: additur etiam efficaciae gratia, ſpiritus Lauendulae compoſitus. — Elixir viſcerale Kleinii, Vitrioli Mynſichti non minus ſunt ſtomachica eximiae virtutis. Aquae medicatae, principio martiali aereque fixo impregnatae, et balnea frigida, egregie iuuant vt robur et elaſticitas partibus reddatur relaxatis.

§. XV.

Remedia antihydropica externa paucis nunc examinanda ſunt. *Primo:* ligaturae imprimis extremitatum inferiorum cum faſciis latis longisque. Laudantur ab his, vituperantur ab illis. Adhibetur praeprimis in hydrope Aſcite cum oedemate pedum ſtipato, eo potiſſimum conſilio, vt robur amiſſum partibus ſolidis concilietur, et reſorptio aquarum ſtagnantium facilior reddatur. Dantur autem hydropici, quorum ſcilicet morbus ab aſthmate incipit, qui ligaturas nullo modo ferre poſſunt hisque aſthma inde inſigniter augetur. Absque noxa tamen ſemper tentari et remoueri ſtatim poſſunt, ſimulac nocent. — Inunctiones cum oleis vnguinoſis, Oleo Oliuarum vel ſimili, vtiliter ſemper inſtituuntur, ſiquidem reſorptionem fluidi aerei impediunt, partiumque ſolidarum tenſionem moleſtam eximie ſubleuant. Scarificationes partium aquis ſtagnantibus turgidarum valde periculoſae ſunt. Facillime nempe gangraena et ſphacelus oritur ex vulnere in locis vbi fluida extrauaſata diu ſtagnarunt inflicto. Quod tamen, experientia duce, de inciſionibus ſolummodo intelligendum eſt, ex punctura enim raro vel nunquam oritur gangraena.

§. XVI.

§. XVI.

Operatio chirurgica paracentheſis dicta vltimam conſtituit methodum, qua aquae hydropicorum eliminantur.

Adhibetur autem in hydrope pectoris, aſcite et hydrocele. Rariori caſu paracentheſis inſtituitur felici ſucceſſu, quia plerumque, prouti omnes fere operationes chirurgicae heroicae, non tempeſtiue adhibetur. In hydrope recenti, ſi vires adhuc conſtant, corpus iuuenile, viſcera nondum corrupta nec vlla labe inquinata et aquae extrauaſatae non putridae ſunt, tum ſemper tuto et cum fructu peragi poteſt paracentheſis. Non infrequentia ſunt exempla, hydropicos tempeſtiua paracentheſi ſanatos fuiſſe, ſerior autem ſaepe mortem accelerat.

Satis cognitae ſunt cautelae ſub hac operatione obſervandae, conſtrictio nempe abdominis per faſcias latas, ſenſim magis magisque ſub effluxu aquae conſtringendas, locusque pertundendus in medio inter eminentiam anteriorem et poſteriorem oſſis ilei et vmbilicum lateris ſiniſtri. Faſcia a Celeb. A. Monro inuenta et in Med. Eſſ. of Edimburg delineata atque deſcripta eximii vſus eſt, vt preſſio verſus omnes partes aequalis exerceatur.

Tutius mihi quidem videtur, vt non omnes aquae ſimul educantur ſed certa quotidie quantitas, licet Vir Cel. Kaltschmidt docuerit aquas vna vice ſimul educi poſſe.

Negandum enim non eſt, a ſubitaneo collapſu viſcerum et orta inde ſanguinis preſſione in loca haec non reſiſtentia, ſaepius oriri animi deliquium, quod ergo impedit, quo minus mors ipſa ſubſequatur, potiſſimum in corporibus emaciatis remediisque dráſticis ante hoc adhibitis iamiam debilitatis.

Periculoſior longe eſt paracentheſis thoracis propter diagnoſin huius morbi difficiliorem. Cognito tamen latere ex ſignis ſupra memoratis, in quo haeret aqua, locus pertundendus tutiſſimus eligitur iuxta diaphragma, quod tamen non laedendum: hinc fiat apertura a parte poſtica ad diſtantiam quatuor vel quinque transuerſorum digitorum a ſpina dorſi inter tertiam vel quartam coſtam veram, ab inferioribus numeratam. In vtraque operatione, ſi vires aegro deficiant, cardiacis et ſpirituoſis, vino rhenano generoſo vel ſimili, refocillandae ſunt.

§. XVII.

Breuiter itaque recenſitis remediis antihydropicis, inquiremus nunc paucis, quaenam auxilia in praecipuis hydropis ſpeciebus adhibenda ſint.

Leucophlegmatia vel anaſarca ſi non adeo inueterata facile curatur, remediis reſoluentibus, diureticis, euacuantibus.

Tartarus

Tartarus emeticus doſi refracta vt vomitum non moveat, Oxymel ſcilliticum, Cremor Tartari, ſal polychreſtum Glaſeri, Roob Iuniperi, plerumque ſufficiunt.

Subinde juuat motus frequens et frictiones totius corporis. Arenationem a Celeb. *Medico* aliisque commendatam in hac ſpecie potiſſimum indicatam credo. Sub finem curationis propinanda ſunt roborantia inprimis Martialia. Quodſi autem in ſocietate hydropis aſcitis adſit Leucophlegmatia, cura generalis ad hydropem et medicamina validiora requiruntur.

Hydrocephalus externus ſanatur remediis diureticis et euacuantibus: Succo Millepedum, Oxymelle ſquillitico, radice Ialappae et Bryoniae albae. Externe fomentationibus ſiccis humidisque pro re nata, diſcutientibus et roborantibus. Flores Chamomillae Romanae et vulgaris, Herba ſcordii, Abrotani, Abſynthii, Betonicae, Menthae, ſaluiae, Cortex peruuianus, Granatorum etc. huic ſcopo ſatisfaciunt.

Punctura cum lanceola in loco decliui ad euacuandam aquam quandoque neceſſaria eſt, qua facta fomentationes aromaticae vel aquae frigidae adhibendae ſunt.

In *hydrocephalo externo* remedia modo dicta aliquando auxilium ferre poſſunt, internus autem in ventriculis et vaſis cerebri et mixtus quem Cel. *Klinkoſch* deſcripſit, omnem medelam plerumque reſpuunt. Varia tamen exſtant exempla,

vbi

vbi tales aegroti per plures annos vitam miſeram protraxerunt, quales memorabiles caſus, Auriuillius, Ridlin, Büttner, aliique annotarunt.

Spina bifida raro vel nunquam ſanatur. Omnis ſpes curationis dependet de tumore non perquam magno, ſique hydrocephalus internus non ſimul adſit. Externe aqua vegeto mineralis Goulardi et veſicatorium paruum prope tumorem applicandum, interne diuretica non irritantia commendantur.

Hydrops thoracis vel pulmonum, quam difficilis ſit cognitu, notiſſimum eſt, curatur tamen aliquando, ſi cura generalis ad hydropem inſtituatur. Audiamus Ill. Stoerck de hoc morbo egregie differentem.

"In hydrope thoracis, inquit, incipiente medicamenta iuuant, verum talis difficulter cognoſcitur. In hydrope thoracis inueterato medicamenta raro iuuant, et plerumque pertinaciori vſu nocent. Largi fonticuli, ſetacea in cauum penetrantia levant, ſubinde iuuant. Paracentheſis in hoc morbo ambigua eſt et admodum incerta. Quandoque in ipſis pulmonibus mucus aut gluten colligitur, quod eadem fere ſymptomata producit quae fiunt ab aqua in pectoris cauum effuſa, ſimiles tamen paulo pleniore pectore tuſſiunt, et tuſſi auditur ſtrepitus glutinis in pulmone latentis; et ſi ſputa prodeunt ea leuamen adferunt. Vnde frequenter accidit, vt tales aegri, licet hydrope anaſarca aut aſcite ſimul laborent

perfecte

perfecte ſanentur. Medicamenta quae ſputa ſoluunt et promouent et tumores aquoſos diſcutiunt, hoc in caſu optima ſunt. Vinum ſquilliticum, Oxymel ſquilliticum, Kermes minerale, Gummi amnioniacum, Sulphur antimonii auratum alterioris praecipitationis. „

Celeb. Gavbivs Turpethum minerale in hydrope pectoris commendat, eiusque vſu morbum profligauit.

Progredior nunc ad vulgarem iſtam hydropis ſpeciem, *hydrops aſcites*, nominatam. De hoc morbo tritum etiam illud diui Hippocratis dictum valet: ſi quid homini contigerit quod medicinae inſtrumenta ſuperat, id ne ſperandum quidem eſt ab arte medica vinci poſſe. Medicus enim licet ſaepe omnem lapidem moueat vt aegrotum ſanitati reſtituat, morbus tamen quamplurimum pertinaciter omnem curam licet probatiſſimam reſpuit. In curationis tramite ad viſcerum obſtructiones probe attendendum eſt, quo in caſu reſoluentia ſelectiora praemittenda ſunt. Propter efficaciam inſignem experientia probatam laudantur, Gummi ammoniacum, ſapo venetus, radix Rhei, Curcumae, Taraxaci, Saponariae, Graminis, Cichorei, Salia alcalina fixa et media, vernoque tempore vſus ſuccorum herbarum antiſcorbuticarum et aperientium, Cochleariae, Trifolii fibrini, Fumariae, Naſturtii aquatici, Apii, Petroſelini, Chaerefolii etc. Eadem et ſimilia medicamina, ex ſupra allegatis deſiderantur ad

reſoluendum glutinoſum, interpoſitis tamen diureticis et draſticis pro natura morbi et indiuidui.

Vbi diatheſis adeſt humorum phlogiſtica conducit remedium Ill. Tissoti conſtans ex Cremore tartari, aqua cocta, et cum Syrupo quodam acido gratius reddito. Vrinam mouet, ſitim extinguit moleſtam, et blande euacuat. Acida mineralia etiam in hoc caſu non contemnenda ſunt. Praemiſſis reſoluentibus nullaque praeſente contraindicatione, conducunt purgantia draſtica ad euacuandas aquas. Prae ceteris mihi placent: Gummi Guttae forma pillularum vel in decocto cum ſale tartari et ſyrupo Rhamii catharcici mixtum: Herba Gratiolae forma pulueris cum Cinnamomo vel ſimili aromate, vel in decocto vinoſo cum radice Gentianae rubrae etc. Radix Bryoniae albae, Jalappae cum Mercurio dulci. Celeb. *Suydenham* corticem interiorem Sambuci laudibus effert, et ſequenti illum exhibendi modo vſus eſt. Nempe manipuli tres corticis interioris ſambuci a ligno deraſi in libris duabus aquae et lactis ſimul miſtorum, ad libram vnam incoquantur: Decocti huius altera medietas mane, altera ſero quotidie aſſumatur, donec aeger conualeſcat. Vomitum et catharſin hoc remedium producit, noſtrisque etiam temporibus agyrtis valde familiare. Reſpiciendum tamen ſedulo ad vires aegroti, vſusque draſticorum non temere continuandus, ſed alternis diebus diuretica interpo-

nenda

nenda ſunt. Squilla forma pulueris vel infuſi vinoſi, cum variis aromatibus, quodque ex illa paratur oxymel et acetum, Oxymel Colchici autumnalis, praeparata Iuniperi, Millepedes, Tinctura Cantharidum, Terebinthina, Baccae Alkekengi, Balſama natiua et ſalia alcalina fixa inter diuretica primum locum obtinent. Aquarum etiam mineralium et inprimis acidularum inſignis eſt vſus, pro variis ſcopis obtinendis. Multis enim modis aquas ducunt, diſcutiunt, vias aperiunt, et viſcera confirmant. Notandum etiam inprimis, ſimulac aliquae medelae ſpes affulgeat amarorum et Martialium varia connubia in auxilium vocanda eſſe, vt partes a materia lenta labefactata corroborentur atque actiones languentes reſtauratis viribus reficiantur.

Remota enim cauſa proxima morbi, aquarum ſcilicet euacuatione, dimidia tamen curationis pars tantum peracta eſt, niſi nouus aquarum prouentus impediatur, quod potiſſimum obtinetur, ſi auxilia iſta adhibeantur, quae laxitati ſolidorum fluidorumque tenuitate vel tenacitati praeternaturali medentur. Idcirco vſus vini generoſi et cereuiſiae fortis perutilis eſt hydropicis reconualeſcentibus ſimulque abſtinentia ab omni potu aquoſo tenuiori.

Quodſi vero ſitis moleſta aegros vexat, huic facile medetur, ſi aqua frigida, ſpiritu Vitrioli vel Sale eſſentiali

 tartari,

tartari acidulata, os frequenter colluant aut taleolum pomi Citri ſaccharo conſperſum manducent. Efficaciſſima ſunt vina chalybeata ad reconciliandum partium robur amiſſum. Ferrum enim optime vim languentem haematopoicam reſtaurat, ſanguinisque motum et calorem auget. Eodem ſcopo exhibetur Vinum Enulatum, Juniperinum, Abſynthites.

Topica etiam varia in aſcite commendata ſunt, quorum vſus mihi tamen valde deſplicet. Huc pertinent vnguenta e catharticis fortioribus e. g. ſucco Iridis aliisque, praeparata et abdomini applicata, quo facto facile hypercatharſis vix coercenda ſequitur. Veſicatoria etiam cruribus tibiisque ſupraimpoſita et ſcarificationes in his partibus ad educendas aquas inſtitutae, valde periculoſum medicationis genus conſtituunt, et gangrenam ſaepe numero inuitant, quae facillime oritur a vulnere in partibus vbi extrauaſatum diu ſtagnauit inflicto.

De iſta autem methodo qua aquae in aſcite educuntur, paracentheſis dicta, ſupra iam monui, cum optato ſucceſſu illam ſaepius inſtitui poſſe, ſi modo tempeſtiue ſatis adminiſtratur. Verſus declinationem morbi frictiones totius corporis cum pannis aſperis, fumo Succini vel ſimili penetrantiſſimo fumo imbutis, ſummae ſunt efficacitatis, vt

ſcilicet

ſcilicet reliquiae aquoſae e corpore eliminentur. Suadent etiam nonnulli, vt aeger nudato corpore haereat ſupra vaporem ſpiritus vini camphorati accenſi, et deinde valide fricetur. In oedemate pedum hoc remedium cum fructu tentari poſſe credo. Tumor pedum enim, morbo ipſo perſanato, ſaepius pertinacius reſiſtit. Diuretica itaque interna in connubio roborantium tam diu continuanda ſunt, donec omnis euaneſcat tumor.

Egregium eſt connubium corticis peruuiani cum radice Squillae, forma pulueris vel infuſi vinoſi. Multum etiam confert ad diſcutiendum tumorem femorum pedumque oedematoſum motus frequens corporis et ligaturae his partibus applicatae. Oedema ſcroti, ſi adeſſe videamus, quod facile quisque cognoſcat, inquirendum, an a cauſa externa vel interna quadam ortum duxerit, qua ſcilicet reditus ſanguinis per venas impeditur. In vtroque caſu tamen iuvant externe fomentationes diſcutientes et ſpirituoſae, atque ſuſpenſorium. Interne vero euacuantia eccoprotica et diuretica leniora. In hydrocele tunicae vaginalis teſticuli tentari quidem poſſunt, euacuantia, diuretica et externa diſcutientia, quae ſupra poſuimus, raro tamen iuuant, et plerumque operatio neceſſaria eſt. Inter varios hunc morbum curandi methodos, ab Ill. Richter, praeceptore in aeternum colendo, vberius praeſcriptos, mihi quidem inprimis placet

methodus Celeb. Pott, qui ſetaceum ad curam huius morbi radicalem commendat, cuius etiam partes praeceptor Illuſtris tenet.

§. XVIII.

Reſtat vt legitimam hydropis praeſcribamus diaetam. Non enim ſolis medicamentis ſtricte ſic dictis, ſed etiam diaeta congrua contra rebellem hunc morbum pugnandum eſt. Qualis vero illa eſſe debeat, generatim ex conditione morbi, aegrotorum conſtitutione, aetate, vitae genere ante hoc aſſueto, ſymptomatibusque concomitantibus, determinandum eſt. Ad vſum rectum rerum non naturalium ſedulo reſpicere oportet Medicus, qui felici ſucceſſu hydropi mederi vult. In illis enim latet ſaepius, prouti iam dictum fuit, cauſa hydropis remota, ideoque omnem merentur in cura attentionem. Aeris conditio, quantum fieri poteſt, ſit ſicca et pura. Nocet inprimis aer humidus et frigidus. Hinc Hippocrates hydropem inter morbos autumnales refert. Cibi ſunt "ευχυμοι et ευπεπτοι, idoneis condimentis apparati. Allium prae ceteris laudatur. De cibis autem tantum aſſumendum, vt vires reficiantur non ſupprimantur. Potulentorum non minus habenda eſt ratio, ne iis acceſſio ad ſerum fiat. Conducit pro potu ordinario, vinum tenue diureticum, quale eſt vinum Moſellanum vel Rhena-

num.

num. Pro pauperis cereuiſia leuis bene cocta et aromatica. Somnus et vigiliae huc quoque ſpectant: quemadmodum enim ſomni et vigiliarum exacta mediocritas et viciſſitudo iuſta ad ſanitatis conſeruationem quam plurimum facere poteſt, ita etiam poteſt eorum aequilibrium ſublatum in hoc morbo valde nocere. — Excernenda vel retinenda in exceſſu vel defectu peccantia corrigenda ſunt. Animi pathemata fugienda. Exercitium corporis medium viribusque accommodatum. Hinc Hippocrates inquit: hydropicis vtile eſt, corpus laboribus exercere, ſudores mouere.

Haec ſunt Beneuole Lector quae de hoc grauiſſimo morbo proponere conſtitui. Quae qualiacunque ſint, vt in bonam interpretari partem defectusque omnes ſupplere velitis, etiam atque etiam oro rogoque.